



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

Sadoleto, Jacopo

[Francofurti], 1607

XI. Iacob. Sadol. Episc. Carpent. Gvlielmo Bellaio Langæo S.P.D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

quo nos omnes abs te affectos esse beneficio sumus arbitrari.
Iterum vale. Carpentoracti.

XI.

IACOB. S ADOL. EPISC. CARPENT. GV.
lielmo Bellaio Langeo S.P.D.

CVm hosce plures iam menses vehementer de te & de tua salute sollicitus fuisset, quod ignorans vbinam esses, te in illis Italia fluctibus etiam nunc versari arbitrabar: summam repente accepi letitiam ex optato nuntij aduentu, qui ex aula Regis nuper huc profectus, saluum ac valentem te sibi visum esse confirmavit. Quod si ita est, (vt ego spero & opto) cum mihi ipsi gratulor, tum ago Deo immortali gratias. Facit enim incredibilis ille amor, quo te iam pridem sum complexus, vt nihil mihi abs te neque secundarum, neque aduersarum rerum, esse se iunctum possit. Quanquam quas tu secundas tibi esse res putes nescio, prater Regis tui gloriam atque amplitudinem. Vidi enim te in maximis illis miserae Italiae turbibus ac procellis, non ferentem modò omnis labores, & omnia pericula constanter, ac fortiter: sed aduentem etiam vltro, & plenè expostentem pro tui Regis dignitate atque gloria, vsque eò quidem, vt nemo secundis suis rebus tam iucundè ad commodum & vtilitatem suam perfratur, quàm tu in turbulentis & asperis alacri animo versabare, quò fidei tuae officioque facis faceres. Quod et si iure ac merito pro tanti honore Regis faciebas, tamen rarum nos in te, propeque inauditum fidei ac virtutis exemplum conspicientes mirabamur. Nunc autem si in portum peruectus es, instituitque commorari inter tuos, & ea artium optimarum studia quibus à pueritia mirificè fuisse deditus, in aliquo otio recolare: nuncio tibi me futurum socium eiusdem & voluntatis, & iudicij. Dedi enim me penitus & dicam literis neque aliud quippiam iam cogito dies noctesque, quàm quem admodum possim veram & dignam Christiano homine immortalitatem consequi: cuius rei iudicium, & fructum etiam aliquè, velut otij mei primitias, celeriter, vt spero, in manibus es habiturus. Sed non audeo scribere de his nunc pluribus, donec sciero, vbi tu sis, quid agas, eequam mei absentis memoriam benevolentiamque conferues. Quod vt facias, mihi que aliquando aliquid de tuis rebus scribas, te vehementer etiam atque etiam rogo: imprimisque tibi vt persitadeas, nullum vnquam tempus fore, quo tuorum meritorum erga me, & nostrae mutuae insignisque benevolentiae, memoria moriatur. Vale. Carpent. XV. Calen. Martij, M.D. XXXVIII.